MASTER NEGATIVE NO. 91-80290-5

AUTHOR:

SCHRADER, GIULELMUS H. C.

TITLE:

DE ARTIS APUD ARISTOTELEM AC VI ...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

Master Negative #

91-80290-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books      FUL/BIB   NYCG91-B80795         Acquisitions     NYCG-NS
Record 1 of 0 - Record added today
+
  ID:NYCG91-B80795    RTYP:a    ST:p    FRN:      MS:        EL:         AD:09-13-91
  CC:9668  BLT:am     DCF:?   CSC:?   MOD:      SNR:       ATC:        UD:09-13-91
  CP:nyu     L:lat     INT:?   GPC:?   BIO:?     FIC:?      CON:???
  PC:r       PD:1991/          REP:?   CPI:?     FSI:?      ILC:????  MEI:?   II:?
  MMD:       OR:    POL:    DM:     RR:         COL:       EML:       GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC.
  100 10   Schrader, Giulelmus H. C.
  245 13   De Artis Apud Aristotelem Notione AC VI‡h[microform].‡bDissertationis
        Philosophicae Pars Prior,‡cQuam Una Cum Thesibus Propostis Consensu Et A
        uctoritate In Alma Litterarum Universitate Friderica Guilelma Berolinens
        i Ad Summos In Philosophia Honores Rite Capessendos Die XXIX. M. Julii H
        ora XII. A. MDCCCXLIII. In Aula Majori Defendet Auctor H. C. Giulelmus S
        chrader.
  260 0    Berolini
  LDG      ORIG
  QD       09-13-91
```

Restrictions ...

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 10-17-91 INITIALS M.B.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE ARTIS APUD ARISTOTELEM NOTIONE AC VI.

DISSERTATIONIS PHILOSOPHICAE
PARS PRIOR,
QUAM
UNA CUM THESIBUS PROPOSITIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS.
DIE XXIX. M. JULII HORA XII. A. MDCCCXLIII.
IN AULA MAJORI
DEFENDET
AUCTOR

H. C. GUILELMUS SCHRADER
SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
FRID. RIBBENTROP, PHIL. DR.
THEOD. WEHRMANN, PHIL. DR.
AD. SCHRADER, THEOL. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FEISTERII.

AMICO

EDMUNDO MICHAELI

HANC COMMENTATIONEM

D. D. D.

SCRIPTOR.

In perlustranda Graecarum artium historia quum multae res se nobis praebeant, quae summam excitant admirationem, tum illud mihi semper memoria dignissimum visum est, quod artium opera tantam vim habuere ad spectatorum animos excolendos et permovendos. Tota ars tam arctam cum universi populi indole amicitiam contraxit, ut quae ab artificibus proferebantur opera, ea a Graecorum quolibet optime et intelligerentur et perciperentur, ac penitus se in eorum animos insererent: quare saepius artifices et imprimis fabularum scriptores conabantur, ea quae ipsis recta et proba viderentur, sive illa ad mores conformandos pertinebant sive ad rempublicam gerendam seu ad singulos quosdam homines aut vituperationibus notandos aut laudibus efferendos, et totius fabulae compositione et singularum personarum sermonibus expressa auditoribus proponere [1]). Ita-

---

1) Ut ex permultis exemplis pauca afferam, Aeschylus in Eumenidibus et vetera Areopagi iura defendere et Athenienses ad foedus cum Argivis pangendum commovere studuit; cf. O. Mueller Aeschyl. Eum. p. 115 — 121; Droysen ad vernaculam Aeschyli interpret. tom. I. p. 175 — 177 (ed. prim.) Aristophanes quum in nubibus Athenienses monuisset, ne perversa novandi libidine ducti veterum Deorum religionem adspernarentur, in vespis v 1016 — 1019 auditores vituperat, quod quum bona ipsius consilia non intellexerint,

que non mirum est, quod philosophi, qui de rebus publicis instituendis scripserunt, animum ad artis gravitatem et utilitatem perpendendam appulere eandemque, quae cuiusque fuit philosophandi ratio, aut praeceptis restrictam adhibendam censuerunt aut propemodum omnem improbaverunt. Ac totam paene artem a Platone reiectam videmus, quod quamvis ob summam poesis et sculpturae Graecae absolutionem nos offendat, tamen cum illius philosophia plane congruit. Quam rem quum uberius tractare et ad vivum resecare longum sit, duas easque gravissimas caussas attulisse sufficiat, quae tantam Platonis indignationem in artem converterunt. Primum enim quum veram rerum naturam ideis tantum contineri statueret, non potuit quin artem quam tertio loco ab his abesse et nihil nisi vanas rerum effigies procreare censuit [2], in contemptum duceret, praesertim quum ipsos poetas putaret, si quid veri pronuntiassent, hoc non firmae scientiae adminiculis fultos sed ratione paene orbatos et divino quodam instinctu impulsos dixisse [3]. Quod eo acerbius perstringebat, quo arrogantius poetae veram rerum descriptarum naturam perspexisse sibi

---

(„ὑπὸ τοῦ μὴ γνῶναι“ v. 1045) iniuria ipsum affecerint. Cf. praeclaram eiusdem seutentiam in ran. v. 686.

„τὸν ἱερὸν χορὸν δίκαιόν ἐστι χρηστὰ τῇ πόλει
ξυμπαραινεῖν καὶ διδάσκειν.“

Quum in iterata Palamedis Euripidei editione nonnulli versus additi essent, qui Socratem iniusto supplicio mactatum spectare videbantur omnes Athenienses illacrimasse dicuntur; cf. Boeckh de Graec. trag. principp. p. 185.

2) Cf Plat. rep. X. p. 597 D — 600; ibid. p. 602; Soph. p. 266. C. D; Politic. p. 306 D: legg. X, p. 889 D.

3) Phaedr. p. 245 A. Jon p. 533 seq.; Men. p. 99 D; legg. IV, p. 719 Ç.

videbantur et coram populo de se praedicabant [4]. Praecipue autem id artificibus vitio vertit, quod affectibus vehementissimis describendis in audientium animis similes perturbationes excitarent, quibus demum exstinctis homines sapientiam et virtutem sibi parare possent (Rep. X, p. 603 — 606). Contra Aristoteles bene quidem vidit, non cuique aetati cuiusvis artis usum convenire, nec tamen hanc ob rem ea artium genera, quae ad pueros instituendos apta non videbantur, plane improbavit, sed pro varia artium vi varie eas adhibendas esse statuit. Constat autem inter omnes, penes quos huius rei arbitrium est, quam subtiliter ille de arte iudicaverit, quae iudicia quantam vim ad recentioris quoque aetatis poesin moderandam et praecipue ad artium doctrinam constituendam et explicandam habuerint, ex iis imprimis intelligitur, quae Lessingius de Aristotelis arte poetica disputavit. Itaque quum Aristoteles magis ad singulas artes perscrutandas, quam ad universam earum rationem exponendam incubuerit, res mihi visa est et cognitu iucunda et ad investigandam artis doctrinam utilissima, ex iis, quae ille de singulis artibus decrevit, ea explicare et colligere, quae de communi artium natura in mente habuisse videatur. Ac scio quidem, me ad difficillimam quaestionem solvendam aggressum esse, praesertim quum sententiae doctorum virorum, qui hucusque hac de re disputaverunt, valde inter se differant. Quae res quamvis indulgentiam mihi conciliare videatur, si de quibus partibus minus accurate exposuerim, tamen eo magis arrogantiae opprobrium timendum est. Quod ad evitandum nihil afferre possum, nisi rei

---

4) Apolog. p. 22 Ç. Soph. p. 234.

propositae et iucunditatem et gravitatem. In quattuor autem partes disputationem putavi distribuendam esse, hac quidem ratione ut primum notio artis evolvatur, tum ut pulcri definitio explicetur, deinde ut exploretur, quae artis sint in ingenio humano principia, postremo ut definiatur, quam vim artes habeant et ad mores conformandos et ad animos extollendos.

Cap. I.

DE NOTIONE ARTIS.

Universo generi humano cognoscendi amor a natura insitus est (Metaph. I, 1), quo ducti homines ad externas res sensibus percipiendas se conferunt, inde harum rerum species et imagines colligunt collectasque memoriae infigunt. Sensus enim quamquam potentia iam cum rebus sensibilibus congruit easque in se continet, tamen ut ad finem et perfectionem suam perveniat, illas revera percipere debet et perceptarum rerum formas ac species materia destitutas (*ἄνευ ὕλης* Psych. II, 12; III, 2) in se recipere [5]. Perfecta autem sensuum perceptione licet, quas animo susceperis imagines, per imaginationis vim pro voluntate et arbitrio tibi revocare, — imaginatio enim motus est, qui absoluta demum

5) Sic *νοῦς*, qui principia intuctur (Anal. post. I, 33 ed. stereot., Eth. Nic. VI, 6; *εἶδος εἰδῶν* Psych. III, 8), potentia idem est, quod *τὸ νοητόν*, Psych. III, 4; Metaph. XII, 9; sed ut ad actum perveniat, *τὰ νοητά* i. e. se ipsum revera cogitare debet (*ἐντελεχείᾳ οὐδὲν πρὶν ἂν νοῇ*); cf. Trendelenb. comment. in Arist. de an. p. 492 — 498.

sensuum actione nascitur (Psych. III, 3), — quae revocandarum imaginum facultas si corroborata atque agens vis facta est, memoria est nominanda (de mem. c 1.) Singulae perceptiones memoriae mandatae [6]) quamquam reapse multae sunt, si in unam quasi contrahuntur, experientia nascitur, ad agendum quidem utilissima, quippe quae in singulis rebus versetur, ad communem autem rerum indolem et naturam perspiciendam minus apta. Attamen observationes ab experientia undique collectae et ad unam redactae fundamentum suppeditant, ex quo universale procedit et super quod artem et scientiam, *τοῦ καθόλου* quasi habitacula, exstruere licet [7]). Quod enim unum idemque e singulis visis nobis occurrit, id notione comprehenditur, quae si ad id, quod fieri debet sive quod aliter quoque se habere potest, i. e. ad *γένεσιν* confertur, a r t e m gignit, si ad id applicatur, quod revera est nullaque alia ratione esse potest, s c i e n t i a m [8]). Apparet igitur, artem inter summas animi actiones referendam esse; iam arctius eius fines circumscribendi sunt et discrimen indagandum, quod ei cum ceteris animi actionibus intercedat. Quaevis cognitio aut in agendo aut in

6) *Μνήμη* enim apud Aristot. non tam reminiscendi facultas (*ἀνάμνησις*), quam rei perceptae mansio est; Metaph. I, 1 „*πολλαὶ μνῆμαι τοῦ αὐτοῦ πράγματος*“, Anal. post. II, 15, 5 *μονὴ τοῦ αἰσθήματος* (*δύναμις*); cl. Plat. Phileb. p. 34.

7) Anal. post II, 15, *δῆλον δὴ ὅτι ἡμῖν τὰ πρῶτα ἐπαγωγῇ γνωρίζειν ἀναγκαῖον· καὶ γὰρ καὶ αἴσθησις οὕτω τὸ καθόλου ἐμποίει*“, ibid. I, 31 „*ἐκ γὰρ τῶν καθέκαστα πλειόνων τὸ καθόλου δῆλον*“, cll. Rhetor. I, 2; Plat. Phaedr. p. 249. C. De inductione cf. Anal. post. I, 18.

8) Met. I, 1; Anal. post. II, 15; Eth. Nic. VI, 3 et 4; Trendelenburg. elem. log Ar. p. 111; de *ἐνδεχόμενον* vid. Trendel. l. l. p. 47. Cf. Plat. Gorg. p 448; Biese die Philosoph. des Aristoteles, tom I p. 331.

procreando aut in contemplando versatur, unde exsistunt prudentia, ars, scientia, quarum ultima summa rerum principia pervestigare studet (Met. VI, 1). Quae principia triplici ratione cernuntur, aut in iis quae mutationi subdita sunt et quorum notio a subiecta materie separari nequit (Physic. II, 1), aut in iis, quae quidem a subiecta quadam re segreganda non sunt, a mutatione autem abhorrent, aut in iis, quae et immutabilia sunt neque ullam cum materia habent communionem. Primum principiorum genus physica explorat, alterum mathematica, tertium theologia sive philosophia prima (Metaph. VI, 1; XI, 4 et 7; Psych. I, 1; Phys. II, 7). Quamquam autem physica mutabilium rerum caussas perscrutatur, tamen caussae ipsae sunt sempiternae nec mutationi obnoxiae. Itaque satis longo intervallo scientia distat tam ab arte, quam a morali prudentia, quarum utraque incumbit ad aliquid efficiendum, quod quia nondum est et fieri demum debet, varie se habere potest (Eth. Nic. VI, 3, 5; Magn. mor. I, 34). Sin autem quaeris, quod discrimen intersit inter artem et prudentiam, illi *τὸ ποιεῖν*, huic *τὸ πράττειν* proprium. Utrumque enim proficiscitur ab agente homine, illud vero ad finem extra se positum spectat; hoc finem suum in sese ipso continet [9]). Actio enim hominis a consilio originem ducit (Metaph. VI, 1 „*τὸ αὐτὸ γὰρ τὸ πρακτὸν καὶ τὸ προαιρετόν*“, Eth. Nic. III, 5—8), quod consilium, modo rectum teneat liberoque homine dignum sit, nihil nisi virtutem sive rationem recte agendi sibi proponit („*ἔστι γὰρ αὐτὴ ἡ εὐπραξία τέλος*“ Eth. Nic. VI, 5); itaque

9) Eth. Nic. l. l.; E. Mueller Geschichte der Theor. der Kunst b. d. Alten II, p. 374; Biese l. l. II, p. 29.

hic est unicus prudentiae moralis finis, ut insitam vim promoveat et se ad sui ipsius perfectionem perducat. Ipsa enim beatitas nihil est, nisi potestas per totam et perfectam vitam secundum perfectae et absolutae virtutis praecepta agendi [10]). Ars autem et omnis procreandi vis ad finem extra se positum contendit [11]). Omnia enim, quae fiunt, aut natura aut arte aut casu gignuntur (Metaph. VII, 7; XII, 3). Quae casu fiunt, quamquam communionem quandam cum consilio habent, minime tamen necessario nexu cum eo coniuncta sunt, quare quum per accidens tantum exsistant, nec cum arte nec cum scientia cognationem habent [12]). Quae fiunt natura, habent illa principium motus et mutationis in sese ipsis, quocirca notio et species, quae mutationem efficit et moderatur, non extrinsecus accedit, sed rebus ipsis inhaeret (Metaph. VII, 8 et 9; Physic. II, 1; V, 1) Quod non ita intelligendum est, quasi species una cum rebus gignatur; neque enim creata illa est nec potest exstingui (Metaph.

10) Eth. Nic. I, 11; X, 7; Pol. VII, 3 (ed. stereot.) „*τὴν εὐδαιμονίαν εὐπραγίαν θετέον*“. Phys. II, 6; Magn. moral. I, 4; Eth. Eudem. II, 1. Minime autem huic sententiae repugnat, quod Aristoteles beatitudinem in otio posuit („*δοκεῖ δὲ ἡ εὐδαιμονία ἐν τῇ σχολῇ εἶναι*“ Eth. Nic. X, 7; Polit. VIII, 2); quae enim hominibus insita est agendi facultas, summum fastigium summamque perfectionem consecuta ad externas res pertineat non oportet, sed ipsa sibi sufficit, quare in animo omnibus suis numeris et partibus expleto contemplatio et actio in unum idemque coalescunt. Quae summa absolutio quum perpaucis tantum hominibus nec per totam vitam concessa sit, sola in Deo invenitur; Metaph. XII, 7 et 9; Eth. Nic. X, 8; Polit. VII, 3.

11) Huc referenda sunt verba Eth. Nic. I, 1 „*τὰ δὲ παρ' αὐτὰς ἔργα τινά.*“

12) Physic. II, 4—6; cll. Psych. III, 12 „*ἕνεκά του γὰρ πάντα ὑπάρχει τὰ φύσει, ἢ συμπτώματα ἔσται τῶν ἕνεκά του*“ et Trendelenb. ad h. l.; Metaph. VI, 2; XI, 8.

XII, 3, VIII, 5; VII, 10); sed res potentia speciem in se continent, quam quum explere studeant, se ad finem suum et perfectionem promovent[13]. Reliquae res procreantur *ποιήσει*, cuius triplex modus exsistit, *ἀπὸ τέχνης, ἀπὸ δυνάμεως, ἀπὸ διανοίας* (Metaph. VII, 7; VI, 1). Atque in universum quidem omnes artes et disciplinae *δυνάμεις* vocari possunt, quia mutationis principia sunt (*ἀρχαὶ μεταβλητικαί* Metaph. IX, 2). Horum autem principiorum, quibus mutatio gubernatur, altera pars secundum rationem (*μετὰ λόγου*) res permutat ideoque contraria proferre posset, nisi consilio regeretur; talia autem principia nonnisi in animantibus inesse possunt (Metaph. IX, 5); altera pars rationis ope non adiuta unum tantum idemque efficere potest atque haec propria est procreatio *ἀπὸ δυνάμεως*. Ut hoc utar, calidum et sanum calorem et sanitatem gignit, quia caloris et sanitatis potentiam in se continet[14]. E cognitione autem (*ἀπὸ διανοίας*) procreatio progreditur, quatenus cognitio notionem rei procreandae praebet, velut medicina notionem et regulam sanitatis continet (Met. XII, 3). Haec igitur procreatio absoluta demum cogitatione incipit[15]. Jam restat ipsa a r s, q u a e v i s e t h a b i t u s e s t s e c u n d u m v e r a m n o t i o-

---

13) Metaph. VII, 9 „*ἔχει γὰρ* (*τὸ σπέρμα*) *δυνάμει τὸ εἶδος*". Itaque et materia et species antea adesse debent quam res ipsa vel natura vel arte fiat. Quod in natura ita fit, ut creatura iam perfecta antea exsistat quae quum novam creaturam gignat, huic speciem semine quasi inserat. Metaph. VII, 8 et 9.

14) Metaph. IX, 1 et 7; XI, 3. Sic Rhet. I, 6 *τὸ ὑγιαίνειν* vocatur *ποιητικὸν τῆς ὑγείας*. Eodem paene modo Metaph. VII, 9 „*τὸ μὲν γὰρ σπέρμα ποιεῖ ὥσπερ τὰ ἀπὸ τέχνης*", ex quo apparet, hanc procreationem eadem fere via procedere ac generationem naturalem.

15) „*Ἀπὸ τοῦ τελευταίου τῆς νοήσεως*", Metaph. VII, 7. Ita prudentia procreationem gubernat; Eth. Nic. VI, 2; cl. Biese l. l. II, 662.

n e m a l i q u i d p r o c r e a n d i[16]. Quae autem opera ars procreat, quamvis sint diversa a procreatione ipsa et extra procreantem cadant, ea ad certam tamen speciem formanda sunt, quae procreandi operis species in animo artificis inest et inde ab illo depromitur[17]. Haec vero idea sive species arte, quae inter artificem et opus artificiosum medium locum tenet (Metaph. V, 20), in materiam transit, quod Aristoteles *σύνοδον* vocat (Metaph. VII, 7; cl. IV, 2); qua ratione opus artificiosum, *ἡ τρίτη οὐσία ἐκ τούτων*, profertur (Metaph. VIII, 2) ac formam (*μορφήν*) in se recipit[18].

Artis igitur notione definita quaerendum esse videtur, quot et qualia artium genera inveniantur. Duo autem imprimis ab Aristotele discernuntur, quorum alterum res ad vitam necessarias et utiles suppeditat, alterum in pulcro, honesto et ingenuis viris digno versatur et eas res procreat, quae ad vitam bene feliciterque degendam, ad delectationem, ad munerum vacationem otiumque honestissimum suaviter transigendum pertinent[19]. Vilium illarum et illibera-

---

16) Eth. Nic. VI, 4; Biese l. l. II, p. 235 — 240. Arti igitur id cum prudentia et natura commune est, quod principia movendi sunt (Metaph. III, 2; V, 1; VIII, 7) et propositum finem sequuntur. Phys. II, 8. De differentia inter *κατὰ λόγον* et *μετὰ λόγου* vid. Andron. ad Eth. Nic. VI, 13. quem laudat Biese l. l. II, 238, cl. Rhet. I, 11.

17) Metaph. VII, 7, cl XII, 3 „*ἡ μὲν οὖν τέχνη ἀρχὴ ἐν ἄλλῳ*"; Creuzer. annot ad Plotin. de pulcrit. p. 188. — Quomodo haec species in animo artificis gignatur, infra tractabitur cap. III, §. 3.

18) Metaph. V, 24 „*τέλος μὲν γάρ ἐστιν ἡ μορφή*", cll. VII, 13; IX, 2; Biese l. l. I. 439 not. 1. Atque ita quattuor illa principia (Metaph. I, 3) simul adesse debent ad artis opus efficiendum; cf. Metaph. III, 2; VIII, 4. Ceterum *ποίησιν* respondere *ἐνεργείᾳ*, *ποίημα* vero *ἐντελεχείᾳ* Trendelenb. docuit ad Arist. de an. p. 297.

19) Metaph. I, „*πλειόνων εὑρισκομένων τεχνῶν καὶ τῶν μὲν πρὸς τἀναγκαῖα, τῶν δὲ πρὸς διαγωγὴν οὐσῶν*"; Polit. IV, 3 „*τούτων δέ τῶν τεχ-*

lium artium, quarum studium viros ingenuos minime decet[20]), triplex est ratio; distribuuntur enim in *φορτικάς*, quae vanam speciem et gloriam consectantur[21]), *βαναύσους*, quae abiectis et sordidis opificiis student, quaestui inservientes[22]), et *χρηματιστικάς*, quae circa foeneratorum mensas et mercatorum tabernas versantur (Eth. Eudem. I, 4). Istae autem artes, quarum primum et tertium genus vix hoc nomine dignum est, et corpora ingenuorum hominum et animos perdunt eosque impediunt, quominus virtuti et honestati operam dent. Longe praestantius alterum est artium genus, quod pulcritudinem et honestatem semper sectatur eamque imaginibus, poematis, cantu adumbrare et nobis ob oculos ponere studet. Quare hae tantum artes dignae sunt, quae cum virtute et scientia comparentur; excitant quippe in nobis et excolunt cognoscendi studium, conformant ingenium, augent virtutem. Sed de hac re infra videbimus; nunc quum has tantum ingenuas artes accuratius perquirere mihi

---

νῶν τὰς μὲν ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχειν δεῖ, τὰς δὲ εἰς τρυφὴν ἢ τὸ καλῶς ζῆν, Eodem fere modo actiones discernuntur Polit. VII, 13 „*καὶ τῶν πρακτῶν τὰ μὲν εἰς τἀναγκαῖα καὶ χρήσιμα, τὰ δὲ εἰς τὰ καλά*" quamvis hic *τὸ καλόν* indicet honestum.

20) Polit. VIII, 3 cll. Pseudo-Aristot de virtutt. et vitt.: „*ἐλευθεριότητος δέ ἐστι τὸ προετικὸν εἶναι χρημάτων εἰς τὰ ἐπαινετά· ἀκολουθεῖ δὲ ἐλευθεριότητι — καὶ φιλόκαλον*" et Rhet. I, 9.

21) Quare praecipue valent ad rempublicam capessendam; cf. Plat Theaet. p. 176. C. „*αἱ δ'ἄλλαι δεινότητές τε δοκοῦσαι καὶ σοφίαι ἐν μὲν πολιτικαῖς δυναστείαις γιγνόμεναι φορτικαί, ἐν δὲ τέχναις βάναυσοι.*"

22) Metaph. III, 2 „*ἐν μὲν γὰρ ταῖς ἄλλαις τέχναις καὶ ταῖς βαναύσοις αὐταῖς οἷον ἐν τεκτονικῇ καὶ σκυτικῇ.*" *Χειροτέχνας* una voce Aristot. eos appellat, qui usu tantum et exercitatione edocti opera proferunt neque, ut *ἀρχιτέκτονες*, doctrina adhibita rei procreandae caussas cognoverunt; Metaph. I, 1. Istos *τεχνίτας* inferiori hominum classi, *τῷ θητικῷ γένει*, adnumerat; Polit. VII, 8, cl. VIII, 7. E. Mueller Geschichte der Theorie etc. II, 73 seqq.

propositum sit, pulcri notio, qualem quidem ab Aristotele definitam invenimus, explicanda est[23]).

Cap. II.

DE NOTIONE PULCRI.

Anquirentibus nobis, qualem Graeci philosophi pulcri notionem sibi finxerint, magna sane difficultas inde exsistit, quod illi pulcrum prope semper bono tam arcte adiunxerunt, ut vix ab hoc dirimi et per se explicari posse videatur. Cuius rei caussa non in inconsulta quadam notionum affinium permixtione posita est, sed altius ex ipsa Graecorum indole et natura repetenda videtur. Quae enim per totam paene Asiam tum in artium operibus, tum in rerum publicarum institutione, tum in summis theologiae et philosophiae principiis et placitis gravissima regnavit dissensio inter notionem alicuius rei atque externam eius exsistentiam et speciem, huius dissensionis solvendae et in libertatis conciliationem et harmoniam mutandae munus Graecis a numine divino impositum est. Contigit iis, ita res externas notioni et cogitatis adaptare, ut nihil intus relinqueretur, quin in aliqua externae formae parte eluceret, neque ulla formae

---

23) Ne Aristoteli aliena obtrusisse videar, scio quidem, nec Platonem (cf. Schramm Plato poet. exagit. p. 54 seqq.) nec Aristotelem artes *μιμητικάς* ad ideam pulcri per se spectati exprimendam revocasse; sed quamvis alium Aristoteles artibus proposuerit finem, tamen tam arcte semper artes cum pulcro coniunxit, ut ab illius sententia non abhorrere videatur, quod has ingenuas et liberales artes uno nomine pulcras appellamus

pars inveniretur, quin pertineret ad ideam exprimendam. Est haec autem venustatis lex, ut tota idea in figuram quasi effusa, intima inter utramque exsistat consensio, quare quidquid a Graecis prolatum est, expressa pulcritudinis signa et indicia habet[24]). Quocirca non in eo sibi acquiescendum esse putavere, ut rectum et honestum sequerentur, sed recte facta etiam pulcri specie esse induenda, summumque fastigium, quo homines tendere deberent, consociationem virtutis et venustatis esse, *καλοκαγαθίαν*. Itaque quoties Plato de pulcro disserit, toties illud cum bono intime coniungit, leve quoddam discrimen, ut pulcrum sit visum bonum, magis significans quam distincte pronuntians[25]).

Atque eadem boni et pulcri vicinitas ex parte quidem apud Aristotelem nobis occurrere videtur. Pulcrum enim esse dicit, quod quum per se ipsum expetendum sit, laudari debeat, vel quod bonum sit ob eamque rem volupta-

---

21) Cf. E. Mueller l. l. II, p. 289; Hegel Aesthet. II, 16; id. Gesch. der Philos. II, 94; Creuzer praep. ad Plotin. p. XXIV. „Neque enim ullus umquam populus inventus est, qui aeque persentisceret, quidquid in quibuscunque rebus pulcrum sit eoque sensu aeque se moveri pateretur in omni vita, cum publica tum privata Legat mihi aliquis Graecorum scriptores inde ab Homero usque ad extremos et fateatur necesse est, primigenio eos homines nativoque floruisse pulcritudinis sensu.“

25) Cf. Plat Phaedr. p. 250; E. Mueller l. l. p 71; Ruge Platon. Aesthet. p 84. Totus dialogus, qui Hippias maior inscribitur, quasi dialectica prolusio circa notionem pulcri est, inanes et falsas hac de re opiniones refutans, certi autem ipse nihil ponens. Ceterum cf. Plat. Tim p. 87. C; Phaedr. p. 246; Rep. VI, 509 A; Phileb. c. 40; Gorg. c. 30; Solger Aesthet. p. 12; Rosencrantz krit. Erlaeut. des Heg. Syst. p. 188; Creuzer praep. ad Plotin. p. V; E. Mueller l. l. I. 67; Heusde init. Plat. phil. I, 165. Ac sane haec consociatio optime congruit cum divina Platonis indole, qui utrum maior fuerit philosophus an poeta, difficile est dictu; cf. Heusde l. l. I, p. 98.

tem afferat (Rhet. I, 9). Duplex igitur pulcri genus hoc loco distinguit, quod magis etiam apparet e Rhet. I, 6 et 7, ubi alteram pulcri partem per se expetendam, alteram iucundam esse perspicue pronuntiat. Illud quod per se expetendum sit nihil nisi bonum et honestum ipsum significare, tum ex Eth. Nic. I, 1 apparet, tum in ipso Rhet. capite laudato expresse dicitur, quare hic prorsus omittendum videtur[26]); hoc iucundum quasi accidens boni est, ita quidem ut ab eo segregari nequeat, ipsum vero alias iucundas res gignere possit; velut bona valetudo et delectationis et vitae effectrix est. Sed quis est quin videat, his verbis definitionem pulcri minime contineri, sed singulare quoddam eius attributum significari? Pulcritudo enim voluptatem quidem gignit quam maximam; sed id ipsum scire cupimus quae tandem sit illa pulcritudinis natura, qua animi nostri ad tanta gaudia efferantur. Quod ex locis in Rhet. propositis minime apparet neque omnino illic quaerendum est; nam quum Aristoteles in hoc opere componendo eum finem spectaret, ut praecepta, quibus orator bene institueretur, proponeret, non id egit, ut certas et accurate circumscriptas rerum notiones explicaret[27]). Quare si nullam aliam pulcritudinis defini-

---

26) Rhet. I, 6 „*ἴστω δὴ ἀγαθὸν, ὃ ἂν αὐτὸ ἑαυτοῦ ἕνεκα ᾖ αἱρετόν.*“ Eandem pulcri definitionem invenimus in Eth. Eud. VII, 15 et praecipue in Magn. mor. I, 19, ubi hic virtuti finis praescribitur, ut pulcrum, i e. honestum exprimat. Cf. praeterea Eth. Nic. II, 2; Metaph. XII, 7 „*ἀλλὰ μην καὶ τὸ καλὸν καὶ τὸ δι' αὑτὸ αἱρετὸν ἐν τῇ αὐτῇ συστοιχίᾳ.*“

27) Quod ut alio exemplo probem. in Eth. Nic. X, 3 Aristoteles optime contra Platonem demonstrat, voluptatem non esse motum; contra Rhet. I, 11 voluptatem ait animae motum esse. Hanc quoque sententiarum diversitatem e Rhetorices consilio explicandam esse puto. Si argumentis confirmari posset, Rhetoricam ab Aristotele iuvene compositam esse, fortasse illae differentiae ex ea re expe-

tionem apud Aristotelem inveniremus, ad splendidam illam pulcri imaginem a Platone tam vividis coloribus expressam nobis esset revertendum et cederet hac in re magistro discipulus. Sed reperiuntur apud Aristotelem aliae eaeque longe ab illa, quam modo laudavi, diversae de pulcritudinis natura sententiae, quibus collectis spero fore ut accurata pulcri definitio nobis se praebeat[28]).

Ac primum quod hucusque examinavimus pulcrum, id totum pulcritudinis ambitum non continet, sed unam tantum illius partem complectitur. Nam quum vel per se expetendum sit vel tamquam boni corollarium voluptatem afferat, apparet hoc pulcri genus in actiones et appetitum hominum vim habere. Etenim si istius modi quid revera pulcrum est, voluntatem nostram excitat; sin speciem tantum pulcri praebet, ad sui cupidinem nos rapit. Ad agendum igitur nostros animos commovet, quam ob rem eius vis ad actiones hominum dirigendas pertinet. Sed pulcrum etiam in iis rebus cernitur, quae nullam cum motu habent communionem[29]). Hoc autem immobile pulcrum multo proprius ad veram et summam venustatem accedit, quae ad meram contemplationem nos instimulat ideoque non vagis cupidinibus atque

---

diendae essent, quod Aristoteles tum temporis ad accuratam doctrinae suae perfectionem nondum pervenisset; sed Max. Schmidt („de tempore, quo ab Ar. libri de art. rhet. conscripti et editi sint p. 19 et 21) demonstravit, hos libros, quamvis mature inceptos, extrema demum aetate ab Aristotele esse editos, cf. Biese l. l. II. p. 574 annot.

28) Quare Biesio non assentior, qui istam tantum pulcri definitionem Aristoteli tribuisse videtur (l. l. II, 675; I, 548).

29) Metaph. XIII, 3 *τὸ μὲν* (intell. *τὸ ἀγαθὸν*) *γὰρ ἀεὶ ἐν πράξει, τὸ δὲ καλὸν καὶ ἐν τοῖς ἀκινήτοις.* Cf. Nemesium Emes. de nat. hom. c. 2 (p. 98 ed Matth.) „*καὶ γὰρ τὸ κάλλος ἀκίνητον ὂν κινεῖ ἡμᾶς.*"

inconstanti hominum sensu diiudicatur, sed firmas et stabiles naturae suae leges in se ipsa continet. Primum igitur quaeritur, quibus in rebus hoc immobile venustum inveniatur, tum quae sint eius partes et formae. Solet autem pulcrum in multitudine et magnitudine exsistere (Polit. VII, 4). Nec vero Aristoteles mera quantitate et magnitudine pulcrum contineri censuit, sed pulcrum nisi extensione quadam praeditum est, nec percipi neque esse omnino potest. Duo autem sensus sunt, quibus pulcrum percipitur, visus et auditio (Plotin. de pulcrit. c. 1), quippe qui prae ceteris contemplationi inserviant. Qua contemplatione ad temporis momentum vel ad perexiguum spatium restricta res pulcra qualiscunque accurate et perspicue distingui ideoque plane percipi non potest; neque enim eius partes perparvo temporis vel extensionis spatio explicari et ob oculos poni possunt, quum contemplatio confundatur (Poet. c. 7). Quare sicuti animalia et corpora humana sine certa quadam magnitudine venusta non sunt (Eth. Nic. IV, 7; Poet. l. l.), sic poematis et omnibus artis operibus ambitus et extensio quaedam concedenda est. Quae magnitudo nimia et infinita esse non debet, quum opus *εὐσύνοπτον* et *εὐμνημόνευτον* sit oporteat, quare terminis circumscribenda est. Itaque magnitudo prima et necessaria condicio pulcri est, terminatio (*τὸ ὡρισμένον*, Metaph. XIII, 3) prima eius lex et forma. Duplex autem est terminandi ratio; nam quum tota res certis finibus circumscribenda, tum singulae eius partes accurate definiendae sunt, ita quidem ut inter se cohaereant; alioquin enim rudis et incomposita moles exsisteret[30]).

---

30) Neque enim in uniformitate pulcritudo cernitur, quum omne mixtum *τοῦ ἀκράτου* iucundius sit; Problem. XIX, 38 et 13.

Legem vero et normam, secundum quam pulcri partes et quasi membra distribuenda sunt, in pulcri ipsius notione invenimus neque illa extrinsecus arcessenda est. Quod enim Aristoteles identidem praecipit, ut quodvis artis opus unum et totum sit[31]), id vero de pulcro ipso praedicare licet. Neque enim sufficit, rem quandam omnino in partes divisam esse, si vere pulcra vult nominari, sed haec distributio secundum notionem quandam instituenda est et partes ipsae firmo ligamento ita inter se consociandae, ut earum nulla non adesse debeat nec praeter eas alia pars locum habere possit[32]). Necessitatis igitur et unitatis vinculo coniugandae sunt. Quae pulcri lex clarius in operibus artis, quam in notione pulcri perspicitur: quam enim ideam artifex sibi proposuit exprimendam, haec et totum opus certis finibus circumscribit et quae sint necessariae operis partes, praecipit. Unumquodque igitur artis opus in se ipso totum esse debet, quod unitate efficitur; quin totum et unitas prope idem valent[33]).

Tali igitur re ita definita et in partes inter se cohaerentes ex unitatis lege distributa continuo altera pulcri forma

---

31) Cf. Poet. c. 7; 8; 23; Horat. ep. ad Pis. V. 23; de oratione eadem praecipit Plat. Phaedr. p. 264, et de tragoedia ibid. p. 268 D; Cic. Acad. quaest. I, 5.

32) Poet. c. 8 „*ὃ γὰρ προςὸν ἢ μὴ προσὸν μηδὲν ποιεῖ ἐπιδῆλον, οὐδὲ μόριον τοῦ ὅλου ἐστίν.*

33) Metaph. V, 26 „*ὡς οὔσης τῆς ὁλότητος ἑνότητός τινος.*“ Quod Aristoteles in hoc capite dicit, hanc unitatem magis in natura, quam in arte inveniri, id minime explicationi propositae repugnat. Neque enim artem ipsam hac vituperatione perstringit, sed ad perversa artis opera respexit, quod apparet e Metaph. XIV, 3 „*οὐκ ἔοικε δ' ἡ φύσις ἐπεισοδιώδης οὖσα ἐκ τῶν φαινομένων, ὥσπερ μοχθηρὰ τραγῳδία*“ (cl. Metaph. XII, 10). Subinde enim artis opera consilio non respondent. Phys. II, 8.

evadit, ordo (*ἡ τάξις*); Poet. c. 7; Metaph. V, 11 „*κατὰ τάξιν· ταῦτα δ' ἐστίν, ὅσα πρό ςτι ἓν ὡρισμένον διέστηκε κατὰ τὸν λόγον*“ (XII, 10 „*πρὸς μὲν γὰρ ἓν ἅπαντα τέτακται*“ cl. V, 19). Hic autem ordo, quem Stoici quoque „compositionem rerum aptis locis“ esse definiverunt[34]), non nisi bonus esse potest („*ἐν τῇ τάξει τὸ εὖ*“ Metaph. XII, 10); quo servato pulcrum dilucidum fit et melius percipitur. Quae pulcri perspicuitas quum ita comparata sit, ut intuentibus nobis nihil obscurum et materiae tenebris quasi obductum se praebeat nulla parte perceptioni nostrae subtracta, hanc ipsam ob caussam oblectationem gignit. Maiorem igitur voluptatem ex iis narrationibus capimus, quae unam tantum rem pertractant, quam quae in multis rebus describendis versantur; illae enim quum certis finibus septae et bene dispositae sint, melius cognoscuntur (Problem. XVIII, 9; Poet. 8). Eadem de caussa rhytmo omnes homines delectantur. Rhythmus enim quum in perspicuo et bene composito numerorum et temporum ordine constet, motum huic ordini respondentem in nobis excitat; ordinati autem motus magis naturae conveniunt, quam inordinati (Problem. XIX, 38). Jam quum *τάξις* sit bona et ad unitatem revocata partium dispositio, haec unitas in eo imprimis cernitur, quod partes proportionem inter se conservant et quodammodo congruunt. Quod non ita intelligendum est, quasi magnitudo singularum partium eadem esse debeat; sed ita sunt componendae, ut quaevis pars universi operis ratione habita iustum modum teneat neque earum una prae ceteris

---

34) Cf. Cicer. de off. I, 40; idem *εὐταξίαν* ordinis conservationem interpretatus est.

nimis emineat, qua re totius operis concordia disturbaretur. Haec autem est tertia eademque summa pulcri apud Aristotelem forma, symmetria, quae in commodulatione quadam et aequalitate membrorum cernitur[35]). Quam ob rem bonus pictor symmetriae legem secutus non pedem prae ceteris animalis depingendi membris magnum delineabit, quamvis pes solus hac condicione maiori venustate condonari possit, sed iustum modum servabit totius operis respectu habito[36]).

---

35) Metaph. XIII, 3; Problem. XVII, 1; cl. Polit. III, 6. Jam Plato pulcritudinem symmetria gigni statuit (Phileb. c. 40 seq.); sed quum eandem in bono quoque inesse decreverit, pulcrum a bono non aperte distinxit. Quare si quis Aristotelem symmetriae notionem a magistro recepisse dixerit, equidem non repugnabo, modo concedatur, ab Aristotele hanc notionem accuratius definitam et ad genuinam pulcritudinem explicandam adhibitam esse. Magis etiam cum Aristotelis sententia congruit Plat. Gorg. c. 59. Cf, praeterea Schleiermacher Aesthet. p. 60.

36) Polit. III, 8. Cf. Cic. de off. I, 28 „Pulcritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos et delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum lepore quodam consentiunt"; cl. Tusc. quaest. IV, 13. Repugnare videtur locus iam laudatus Eth. Nic. IV, 7 „οἱ μικροὶ δ' ἀστεῖοι καὶ σύμμετροι, καλοὶ δ' οὔ." Sed his verbis id tantum demonstratur, quamcunque rem iusta magnitudine orbatam, quamvis eius partes secundum certam mensuram consentiant, pulcram esse non posse, quippe quae accuratae contemplationi se subtrahat. Cf. Schleierm. Aesthet. p. 242. Diversa pulcritudinis definitio inesse videtur in Rhet. I, 5 „κάλλος δέ ἕτερον καθ' ἑκάστην ἡλικίαν ἐστί" etc.; pulcritudo enim hoc loco in idonea corporis natura ad consilia cuique aetati apta peragenda ponitur. Ex hac autem corporis natura Aristoteles minime ipsam pulcritudinem explicare voluit, sed attributum quoddam pulcri indicat, quod symmetriae ut summae venustatis legi non repugnat. Sic in Topic. I, 13 pulcro ex parte τὸ αἰσχρόν, ex parte τὸ μοχθηρόν opponitur, quare pulcrum ibi homonymis adnumeratur. Illud autem pulcrum, cui τὸ αἰσχρόν contrarium est, veram et totam pulcri naturam exhibet; hoc, cui τὸ μοχθηρόν (quo verbo hoc loco id exprimitur, quod a proposito consilio ali-

Symmetria igitur partibus rei satis magnae bene dispositis expressa eam pulcritudinem praebet, quae in ἀκινήτοις cernitur; atque haec Aristotelis sententia est summa germanae pulcritudinis definitio, ad quam Graeci quidem pervenerunt[37]). Quod non solum e philosophorum placitis

---

enum ideoque male paratum est) opponitur, rei naturam ad proposita peragenda utilem indicat. Hoc est „τὸ καλὸν κατὰ χρείαν, πρὸς ὃ ἂν ἕκαστον χρήσιμον ᾖ". Plat. Gorg. c. 30.

37) Exstat quidem praeclarissimus Plotini de pulcritudine liber, in quo longe alia eaque multo praestantior huiusce rei definitio proponitur. Namque ut omittam, quae Plotinus de animae et intellectus pulcritudine et de ipso summo pulcro exposuit, in quibus a Platone pendere videtur (de discrimine inter utrumque optime disputavit E. Mueller. l. l. II, p. 303 — 308), bene ille opponit ne eius quidem venustatis, quae sub sensus cadat, totum ambitum e symmetriae lege explicari posse, cf. de pulcr. p. 51. B. „τά τε χρώματα αὐτοῖς τὰ καλὰ, οἷον καὶ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς, ἁπλᾶ ὄντα, οὐκ ἐκ συμμετρίας ἔχοντα τὸ κάλλος, ἔξω ἔσται τοῦ καλοῦ εἶναι" i. c. secundum veterum sententiam. (Ad colorem tamen Plato respexit in Symp. p. 196). Sed haec philosophia absoluta demum Graecorum historia et medio aevo iam imminente prodire potuit. Non ad rem pertinet, hanc sententiam uberius argumentis confirmare, quare illud tantum affero, totam Plotini philosophiam flagrantissimo summi illius et divini boni desiderio oppletam esse, quod nulla ratione explere poteris nisi omni communione cum mundo sensibili exstincta ad ipsius infiniti boni sinceram contemplationem adscenderis. Hoc autem infiniti desiderium cum principali medii aevi sententia congruit et longe abest a desiderio, quod Plato grandi et elata oratione in Phaedro describit; nam bonum Platonis mensura et modo praeditum est, bonum Plotini quamquam mensuram gignit, ipsum infinitum est et quemcunque modum excedit. In eandem sententiam Rosencrantz (Psychol. p. 272) discedere videtur: „Pythagoras hat einen symbolischen Character, Plato einen plastischen, Plotin einen romantischen." Apparet autem ex eadem Plotini disputatione, veteres philosophos e symmetriae lege pulcritudinem explicasse, cf. l. l. p. 50 D. Ceterum conferas, quas Creuzer ad h. l collegit veterum sententias (comment. p. 146 — 154); quibus adde Nemes. Emes. l. l. p. 39 (p. 90 ed. Matth.) „ἡ δὲ συμμετρία τῶν μελῶν μετὰ τῆς εὐχροίας τὸ κάλλος ποιεῖ τοῦ σώματος."

apparet, sed omnino cum Graecorum indole consentit et ipsis artis operibus confirmatur. Longum est, hanc rem universa Graecorum arte sub examen vocata accurate explicare; quare sufficiat hanc consensionem, quae Aristotelicae pulcri definitioni cum ipsius artis operibus intercedit, leviter adumbrare. Ac prima commemoranda est Graecorum musica, quae tota propemodum ad symmetriae legem composita fuisse videtur. Neque enim illud musici in animo habuere, ut aures sonorum simul prolatorum blanda mistione permulcerent, sed intervalla bene disponenda curabant[38]) ac rhythmum et venustam temporis distributionem studebant efficere (Plat. de legg. II, p. 655), quare musica maxima quidem ex parte non separata a poesi audiebatur (E. Mueller l. l. I, 108), sed totam paene se poesi adiunxit et ad metricas eius formas se applicavit. Itaque haec ars imprimis idonea esse videbatur, qua innata homini *εὐρυθμία* et *εὐαρμοστία* excitaretur et conformaretur[39]). Hinc praeterea explicanda est summa metricae artis apud Graecos perfectio, quae tantum abest, ut ex artificiosa quadam contentione nimioque externae formae studio orta sit, ut magnam moralem vim sustineat nec tam inutili auditorum ob-

38) De veterum symphonia, quam nostrates harmoniam appellant, cf. Boeckh. de metr. Pind. III, 10 p. 252 seqq. Qui variis harmoniae generibus a veteribus tribuebatur varius character, hic pendebat e ratione, secundum quam tetrachordus in intervalla divisus erat; cf. Boeckh l. l. III, 7, p. 207; Forkel Gesch. der Mus. I, p. 329 et 333. De morali modorum indole, quae magna ex parte a ratione intervallorum pendebat, cf. Boeckh. l. l. III, 8, p. 238; rhythmum a veteribus potiorem habitum esse, quam harmoniam, monet idem l. l. III, 7. p. 203.

39) Plat. republ. III, p. 401 A; Protag. p. 326. B; Longin. fragm. VIII ed. Weisk.

lectationi auriumque titillationi inserviat, quam illorum animos coerceat atque affectuum vim certis numeris adstringat et mensura cohibeat[40]). Quamvis enim animus perturbationibus sit commotus et in dithyrambos se prorumpere cupiat, rhythmi tamen ac metri legem mensuramque servare cogitur; qua re ei persuadetur, etiam summae optimi cuisque concitationi harmoniam quandam animi non deesse[41]). Jam palmariam Graecorum artem, sculpturam, examinantibus nobis *εὐσχημοσύνη* se praebet, quae praecipue constat in numerosa et consentiente membrorum collocatione et mensura. Quod magis etiam apparet ex primis huiusce artis apud Graecos monumentis, symmetriae legem et quasi vincula tam diligenter sustinentibus, ut paene spectatorum oculos offendant[42]); quae vincula a posteris sculptoribus ita soluta sunt, ut non plane reiecta et fracta, sed ad liberam et nativam partium commodulationem expedita et explicata esse videantur. Ipsa autem artis statuariae summa perfectio sententiam nostram confirmat. Nam symmetria magis cernitur in forma, quam in interna idea; sculptura autem praecipue ad formam effingendam incumbit, non alienam illam quidem ab idea sed quae totam ideam externa figura exprimere studeat nullamque eius partem quasi intus relic-

40) Longin. fragm. II. (ed Weisk.) „*προῆλθε δὲ τὸ μέτρον ἐκ Θεοῦ, μέτρῳ τά τε οὐράνια καὶ ἐπίγεια κεκοσμηκότος· ἁρμονία γάρ τίς ἐστι καὶ τοῖς ἐπουρανίοις καὶ ἐπιγείοις*“ et quae sequuntur.

41) De saltatione ad symmetriae legem revocata cf. Lucian de saltat. mim c. 70.

42) O. Mueller Archaeol. §. 93 et 118; Muell. et Oesterl. monum. art. vet. Vol. I, fascic. I. tab. VI N. 28; tab. VII N. 29. Haec symmetriae stricta observatio imprimis apparet in ratione sinuum adornandorum, l. l. tab. X, N. 37 — 39; tab. XI, 42.

tam obscura tantum significatione attingat[43]. Pictura autem, quae magis internae ideae significandae operam dat, ad summam absolutionem apud Graecos pervenisse non videtur, sed ea praecipue parte excelluisse, quae ad solam formam spectat et in extremis lineis ducendis versatur. Postremo si quaeris, quae primaria sententia in optimis Graecorum tragoediis expressa sit, id praecipue poetae nos docent, neminem impune iustum modum excedere, et qui contra fecerit temperantia violata, hunc a Diis ipsis in perniciem trudi[44]. Modus igitur et iusta omnium rerum mensura sive symmetria fuit lex, ad quam tota Graecia conformata est atque haec fuisse videtur fati et nemesis vis, ut hominum audaciam et arrogantiam intra modi et symmetriae legem coercuerit[45].

Restat, ut paucis verbis de ridiculo et turpi exponam. Qua de re paene nihil apud Aristotelem invenitur, quod ad eius naturam et leges explicandas pertinet. Opponuntur quidem plerisque locis *τὸ καλόν* et *τὸ αἰσχρόν*[46])

---

43) Bernhardy hist. Graec litt. p. 4, sq. Non repugnat Arist. Polit. VIII, 5 „*ἔτι δὲ οὐκ ἔστι ταῦτα ὁμοιώματα τῶν ἠθῶν, ἀλλὰ σημεῖα μᾶλλον τὰ γινόμενα σχήματα καὶ χρώματα τῶν ἠθῶν*", neque enim hoc loco de omnibus cogitationibus loquitur, quas artifices sibi proponunt exprimendas, sed de moribus tantum effingendis.

44) De Sophoclis Antig. haec exposuit Boeckh (Act. Acad. Berolin. ab a. 1824, p. 72 et 74). Aeschyl. Eumen. v. 501 „*πάντι μέσῳ το κράτος ὤπασεν*". Eadem sententia expressa videtur in Soph. Oed. rege et Aiace

45) Cf. Hegel Log. I, p. 398; Encycl. I, p. 216 (ed. a 1840). Aristoteles quum virtutem in medietate ponit, ad artem respicit, Eth. Nic II, 5 „*ὡς τῆς μὲν ὑπερβολῆς καὶ τῆς ἐλλείψεως φθειρούσης τὸ εὖ, τῆς δὲ μεσότητος σωζούσης· οἱ δ'ἀγαθοὶ τεχνῖται-πρὸς ταῦτο βλέποντες ἐργάζονται.*"

46) Metaph. XI, 6; Rhet. I, 3; Top. I, 13; Eth. Nic. II, 2; cl. Plat Protag c. 57.

nec vero inde deformitatis indoles plane apparet. Ac sane valde dolendum est, eam Poeticae partem, in qua Aristoteles de ridiculo et de comoedia egerit, intercidisse[47]. Exstat autem locus (Poet. c. s), e quo Aristotelis hac de re iudicium fortasse elicere possumus. Quod enim in locis laudatis *καλόν* et *αἰσχρόν* inter se opponuntur, recte quidem illud se habet; sed non omne *αἰσχρόν* ad artem pertinet. Interest enim inter *αἰσχρόν* et *γέλοιον*, quod Aristotele auctore praecipue ad comoedias componendas adhibendum est. Illud enim omnino turpitudinem significat, quae quum in morum pravitate cernatur, risum non movet; hoc perversitatem et turpitudinem quandam praebet, quae quum nec dolore te afficiat nec tibi damnum afferat, hac innocente contortione risum excutit[48]. Quare Aristoteles hac quidem in re mediam comoediam mitiori quadam et occulta ratione iocantem antiquae praetulit, quae cavillando gravissimas hominibus adspersit labes[49]. Qualis autem ista innocens perversitas esse debeat, ex exemplo ab Aristotele allato apparet. Ridiculum enim est „*πρόσωπον αἰσχρόν τι καὶ διεστραμμένον ἄνευ ὀδύνης*". Itaque symmetria faciei quodam-

---

47) Rhet. I, 11; Biese l. l. II, 658. Düntzerus quidem (Rettung der Arist. Poet. p. 38.) lectione *τῆς κωμῳδίας* (Poet. c. 6) in *διηγηματικῆς* mutata demonstrare studet, Aristotelem de comoedia agere omnino noluisse; sed recte istam conclusionem, cui sententia quoque primi Poet. capitis repugnat, satis levibus argumentis nisam L. Spengel refutavit (Act. diurn. Zimmerm. 1841 p. 1272); cf. Max. Schmidt l. l p. 15. Aristotelem autem hac de re disputasse vel sermocinando vel in libris, fortasse ex eo coniicere licet, quod eius discipulus Theophrastus librum de ridiculo conscripsit, cf. Stahr Aristotelia II, p. 109.

48) Cf. Vischer ueber d. Erhabene und Komische p. 174 seqq

49) Eth. Nic. IV, 14. Hanc veram l. l. explicationem docuit A. Meineke in hist. crit. comic. Graec. p. 273.

modo contorta, ita ut partes male inter se consentiant, risum concitat[50]). Neque autem symmetria prorsus exstinguenda est; ait enim Aristoteles l. l., discrimen inter antiquam et novam comoediam multum facere ad *εὐσχημοσύνην*. Quare si ad sculpturam respicimus, Sileni et Satyri commemorandi videntur, quorum imagines quamquam symmetriam non plane respuunt, aliqua tamen ex parte eam contortam exhibent.

Cap. III.

DE ARTIS PRINCIPIO.

Duplex ex Aristotelis sententia vel universae artis vel certe poesis origo est; omnes enim homines ait natura et ad imitandum et ad delectationem ex imitamentis capiendam duci (Poet. c. 4). At idem de nativo poetarum ingenio et indole disputans aut sollertis aut fanatici poesin esse statuit (Poet. c. 17). Quae dicta quum primo quidem obtutu inter se discrepare videantur, quaeritur utrum vere diversa sint habenda an eorum aliqua coniunctio inveniri possit, quae Aristotelis philosophiae non repugnet. Ac qui nostris temporibus de artium doctrina scripserunt, in eo quidem omnes ad unum consentiunt, quod imaginationem ad artium opera tam procreanda quam cum delectatione intuenda opus esse dicunt. Quae sententia quamquam ab Aristotele aperte pronunciata non est, ars tamen tam arcte

---

50) Cf. Plat. Soph. p. 228. A. „*αἶσχος ἄλλο τι πλὴν τὸ τῆς ἀμετρίας πανταχοῦ δυσειδὲς ἐνὸν γένος; — Οὐδαμῶς ἄλλο.*“

cum imaginatione cohaeret, ut etiam Aristoteles non potuerit, quin aliqua ex parte hanc coniunctionem significaret. Qua de re quum obscurius disputasse videatur, hanc mihi quaestionem putavi propositam esse, ut qua ratione illa obscure dicta e ceteris a summo philosopho decretis prodierint, explicarem. Quamquam autem Aristoteles ipse communem quasi fontem, unde cuncta ars manaverit, apertis verbis non indicavit, spero tamen fore ut imaginationis notione Aristotelica explicata internum vinculum appareat, quo Aristotelis hac de re placita colligata sint.

* * *

Quae restant huius commentationis capita Aristotelis doctrinam de imaginatione, de artificis ingenio, de imitatione et de artis vi continentia, ea mox sumptibus Schroederi typis exscripta una cum dissertatione hic proposita in lucem prodibunt.

VITA.

Natus sum Guilelmus Henricus Christianus Schrader Harbeccae, pago Saxoniae Borussicae, Nonis Augustis a MDCCCXVII, patre Andrea ludi magistro adhuc vivo, matre Guilelmina e gente Schmidt iam ante sex annos praemature exstincta. Evangelicae formulae addictus primis litterarum elementis a patre institutus sum, quem quamvis negotiis obrutum summam tamen curam ad me educandum adhibuisse non possum quin grato animo fatear. Postquam sacrorum antistes beat. Tülff linguae Latinae rudimenta me docuit, gymnasium Helmstadiense, cui ill. Prof. Hess praeest, adii anno MDCCCXXVII. Ac quum fortasse patris exemplo ductus iam a puero id optassem, ut ipse quoque in posterum muneri scholastico me tradere possem, hoc votum confirmatum est benevolentia praeceptoris dilectissimi Hessii, qui non solum institutione scholastica ad antiquas litteras colendas me impulit, sed etiam domesticis sermonibus id studuit efficere, ut in legendis veteribus scriptoribus recta via procederem. Jam quum a Borussico gymnasio maturitatis testimonio instructus esse deberem, Halberstadium me contuli, unde examine superato Berolinum abii a. MDCCCXXXVI et a rectore t. t. magnifico ill. Busch inter cives almae Fridericae Guilelmae receptus sum. Ibi per tres annos et dimidium praecipue philosophiae et philologiae operam dedi usus scholis philologicis virorum illustrissimorum Boeckhii, Droysenii, Gepperti, Heysii; archaeologicis Toelkenii, Panofcae, Gerhardi; musicis Marxii; philosophicis Gableri, Werderi, Hothonis; theologicis Vatkii; geographicis Ritteri; historicis Rankii; mathematicis Ohmii, quibus omnibus maximas gra-

tias ago. A. MDCCCXXXIX quum mihi munus liberorum domesticis scholis instituendorum oblatum esset, Suderodam me contuli, vicum prope septentrionalem Hercyniam silvam situm, ubi per duos annos et dimidium liberos Michaelis, praedii redemptoris, instruxi. Inde a. MDCCCXLII Berolinum reversus denuo philologiae et philosophiae studui et praecipue ad veteres philosophos tractandos me contuli, quorum imprimis Aristotelem legi duce Trendelenburgio viro illustrissimo, seminarii philosophici exercitationes moderante.

THESES.

1. Aristoteles in Psychol. appetitum cum ceteris animae facultatibus non ita coniunxit, ut illum cum his ex uno eodemque fonte deduceret.
2. Imaginatio, qualis ab Aristotele circumscribitur, ipsa per se spectata novas imagines procreare non potest.
3. In Arist. Poet. c. 17, §. 2. genuina lectio est „*οἱ δὲ ἐκστατικοί*“ (plurimi codd. exhibent *ἐξεταστικοί*).
4. Imitatio, quam Aristot. artis principium esse statuit, non accurata rerum externarum repetitio est, sed ideae ab artifice conceptae vera expressio.
5. Ad liberorum institutionem una cum ceteris disciplinis ars quoque adhibenda est.